

» mea levis est ¹. » Alia sarcina premit et aggravat te, Christi autem sarcina sublevat te : alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam et avi si pennas detrahas, quasi onus tollis ; et quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, jacet : non volat, quia tulisti onus : redeat onus, et volat. Talis est Christi sarcina : portent illam homines, non sint pigri : non attendantur illi qui eam ferre nolunt ; ferant illam qui volunt, et invenient quam sit levis, quam suavis, quam jucunda, quam rapiens in cœlum et a terra eripiens. « Dividam Sichimam, et convallem Tabernaculorum dimetiar. » Forte propter oves Jacob, convallis Tabernaculorum intelligitur gens Judæorum, et ipsa dividitur : nam transierunt inde qui crediderunt, foris reliqui remanserunt.

IX. « Meus est Galaad ². » Nomina sunt ista lecta in Litteris Dei. Galaad habet interpretationis suæ vocem et magni sacramenti : interpretatur enim Acervus testimonii. Quantus acervus testimonii in Martyribus? « Meus est Galaad, » meus est acervus testimonii, mei sunt Martyres veri. Moriantur alii pro vetusta vanitate sua sine sale; numquid pertinent ad acervum testimonii? Quia et « Si tradidero corpus meum ita » ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest ³. » Cum autem quodam loco moneret Dominus de pace retinenda, præmisit salem : « Habete, inquit, in vobis salem, et pacem habete inter vos ⁴. » Ergo : « Meus est Galaad : » sed Galaad, id est, Acervus testimonii, in magna tribulatione evidenter factus est. Tunc ignominiosa Ecclesia erat in hominibus, tunc opprobrium illi viduæ objectabatur, quia Christi erat, quia signum crucis in fronte portabat : nondum erat honor, crimen erat tunc. Quando ergo non honor, sed crimen erat, tunc factus est

¹ Matth. xi, 30. — ² Psal. lxx, 9. — ³ I Cor. xiii, 3. — ⁴ Marc. ix, 49.

acervus testimonii ; et per acervum testimonii dilatata est charitas Christi ; et per dilatationem charitatis Christi occupatæ sunt gentes. Sequitur : « Et meus est Manasses : » quod interpretatur Oblitus. Huic enim dictum erat : « Con- » fusionem in perpetuum oblivisceris, et ignominie viduitatis tuæ non eris memor ¹. » Erat ergo confusio Ecclesie aliquando, quam modo oblita est : confusionis enim et ignominie viduitatis suæ jam non est memor. Quando enim quædam erat confusio inter homines, acervus testimonii factus erat. Modo jam nemo vel meminit illius confusionis, quando ignominia erat esse Christianum, jam nemo meminit, jam omnes obliti sunt, jam « Meus est Manasses. Et Ephræm fortitudo capitis mei. » Ephræm, Fructificatio interpretatur. Mea, inquit, fructificatio, et hæc fructificatio fortitudo est capitis mei. Caput enim meum Christus est. Et unde fructificatio fortitudo ejus? Quia nisi granum caderet in terram, non multiplicaretur, solum remaneret. Cecidit ergo in terram Christus in passione, et secuta est fructificatio in resurrectione. « Et Ephræm fortitudo capitis mei. » Pendebat et contemnebatur : granum erat intus, habebat vires trahendi post se omnia ². Quomodo in grano numeri seminum latent, abjectum nescio quid apparet oculis, sed vis convertens in se materiam et proferens fructum abscondita est : sic in Christi cruce abscondita erat virtus, apparebat infirmitas. O magnum granum ! Certe infirmus est pendens, certe ante illum caput plebs illa agitavit, certe dixerunt : « Si Filius Dei est, descendat de cruce ³. » Audi fortitudinem ejus : « Quod infirmum est Dei, fortius est » hominibus ⁴. » Merito tanta fructificatio consecuta est : hæc mea est, dicit Ecclesia.

¹ Isaï. liv, 4. — ² Joan. xii, 24 et 32. — ³ Matth. xxvii, 40. — ⁴ I Cor. i, 25.

X. « Juda rex meus : Moab olla spei meæ¹. Juda rex meus : » quis Juda? Qui de tribu Juda : Quis Juda, nisi cui dixit ipse Jacob : Juda, te laudabunt fratres tui²? « Juda rex meus. » Quid ergo timeam, quando Juda rex meus dicit : « Nolite timere eos qui occidunt corpus³? » Juda rex meus : Moab olla spei meæ. Quare : olla? » Quia tribulatio. Quare : « Spei meæ? » Quia præcessit Juda rex meus. Qua enim præcessit, tu sequi quid times? Qua præcessit? Per tribulationes, per angustias, per opprobria. Septa erat via, sed antequam transiret : posteaquam transiit, sequere; jam patet via illius transitu. « Singularis ego sum, inquit, sed quousque transeam⁴ : » singulare granum, sed quoadusque transeat : cum transierit, sequetur fructificatio. « Juda rex meus. Ergo quia » Juda rex meus : Moab olla spei meæ. » Moab intelligitur in Gentibus. Nata est enim ista gens de peccato, nata est ista gens de filiabus Lot, quæ cum patre inebriato concubuerunt, male utentes patre⁵. Melius erat ut steriles remanerent, quam sic matres fierent. Erat autem illa figura quædam eorum qui male utuntur lege. Nolite enim attendere quia lex in latina lingua fœminini generis est; in græca masculini est : sed sive sit fœmini generis in loquendo, sive masculini, non præscribit veritati locutio. Lex enim magis masculinam vim habet, quia regit, non regitur. Porro autem apostolus Paulus quid ait? « Bona » est lex, si quis ea legitime utatur⁶. » Illæ autem filiæ Lot non legitime usæ sunt patre. Quomodo autem nascuntur opera bona, cum quisque lege bene utitur : sic nascuntur opera mala, cum lege quisque male utitur. Proinde male illæ utentes patre, hoc est, male utentes lege, generaverunt Moabitas : per quos significantur opera

¹ Psal. LIX, 10. — ² Gen. XLIX, 8. — ³ Matth. X, 28. — ⁴ Psal. CXL, 10. — ⁵ Gen. XIX, 37. — ⁶ I Tim. I, 8.

mala. Inde tribulatio Ecclesiæ, inde olla ebulliens. De hac olla quodam loco prophetiæ dicitur : « Olla succensa ab » Aquilone¹. » Unde nisi a partibus diaboli, qui dixit : « Ponam sedem meam ad Aquilonem²? » Tribulationes ergo maximæ non oriuntur adversum Ecclesiam, nisi ab eis qui lege male utuntur. Quid ergo? Defectura est hinc Ecclesia, et propter ollam, id est, abundantiam scandalorum, non erit perseveratura usque in finem? Nonne Juda rex illius prædixit hoc ei? Nonne ait, illi : « Quoniam » abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum³? » Olla bulliente charitas refrigescit. Quare non potius, o charitas, et tu contra ollam fervescis? An ignoras tibi esse dictum, cum de illa abundantia scandalorum rex tuus loqueretur : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit⁴? » Persevera ergo usque in finem contra ollam scandalorum. Ardet olla iniquitatis, sed major est flamma charitatis. Noli vinci, persevera usque in finem. Quid times Moabitas, opera mala eorum qui lege male utuntur? Quid enim, Juda rex tuus qui præcessit, nonne tales pertulit? Nescis Judæos male utendo lege, Christum occidisse? Ergo spera; et qua præcessit rex tuus sequere. Dic : « Juda rex meus. » Et ex eo quia « Juda rex » meus. Moab » quid factus est? « Olla spei meæ, » non consumptionis meæ. Vide in tribulationibus ollam spei, audi Apostolum : « Sed et gloriamur, inquit, in tribulationibus. » Olla est jam, sed vide istum, si explicat ollam spei. « Scientes quia tribulatio patientiam operatur, » patientia autem probationem, probatio spem. » Si tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem, olla est autem tribulatio quæ operatur spem; merito « Moab olla spei meæ. Spes autem non confundit. » Et quid? Ferves contra ollam? Ita plane : « Quia charitas

¹ Jerem. I, 13. — ² Isai. XIV, 13. — ³ Matth. XXIV, 12. — ⁴ Id. X, 22.

» Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,
» qui datus est nobis¹. »

XI. « In Idumæam extendam calceamentum meum². »
Ecclesia loquitur, Perveniam usque in Idumæam. Sæviant tribulationes, bulliat scandalis mundus, « Extendam
» calceamentum meum usque in Idumæam, » usque ad
eos ipsos, qui terrenam vitam degunt, (quoniam Idumæa
interpretatur terrena,) usque ad ipsos, « Usque in Idu-
» mæam extendam calceamentum meum. » Cujus rei
calceamentum, nisi Evangelii? « Quam speciosi pedes eo-
» rum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona³; »
et, « Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis⁴. »
Prorsus, « Quoniam tribulatio patientiam operatur, pa-
» tientia autem probationem, probatio spem, » olla non me
consumet: « Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nos-
» tris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. » Non
deficiamus Evangelium prædicare, non deficiamus Domi-
num annuntiare. » Usque in Idumæam extendam calcea-
» mentum meum. » Nonne serviunt et ipsi terreni? Etsi
cupiditatibus terrenis obligantur, Christum tamen adorant.
Hodie videmus, fratres, quam multi terreni committunt
pro lucro fraudes, pro fraudibus perjuriam; propter timo-
res, sortilegos, mathematicos consulunt: omnes isti Idu-
mæi, terreni; et tamen omnes isti adorant Christum, sub
calceamento ipsius sunt; jam usque in Idumæam exten-
dit calceamentum suum. « Mihi Allophyli subditi sunt.
» Allophyli » qui sunt? Alienigenæ, non pertinentes ad
genus meum. « Subditi sunt, » quia multi adorant Chris-
tum, et non sunt regnaturi cum Christo. « Mihi Allo-
» phyli subditi sunt. »

XII. « Quis deducet me in civitatem circumstantiæ⁵? »

¹ Rom. v, 3-5. — ² Psal. LIX, 10. — ³ Rom. x, 15. — ⁴ Ephes. vi, 15.
— ⁵ Psal. LIX, 11.

Quæ est civitas circumstantiæ? Si meministis, jam eam
commemoravi in alio Psalmo, ubi dictum est, « Et cir-
» cumibunt civitatem¹. » Circumstantiæ enim civitas
Gentium circumfusio est; quæ circumfusio Gentium in
medio habebat unam gentem Judæorum, colentem unum
Deum: cætera circumfusio Gentium idolis supplicabat,
dæmonibus serviebat. Et mystice vocata est Civitas cir-
cumstantiæ, quia undique se Gentes circumfuderant, et
ei circumsteterant quæ colebat unum Deum. « Quis dedu-
» cet me in civitatem circumstantiæ? » Quis, nisi Deus?
Hoc vult dicere, quomodo deducet per illas nubes, de
quibus dictum est: « Vox tonitruum tui in rota². » Rota
ipsa est civitas circumstantiæ, quæ dicta est rota, id est,
orbis terrarum. « Quis deducet me in civitatem circums-
» tantiæ? Quis deducet me usque in Idumæam? » id est, ut
regnum etiam terrenis, ut me venerentur etiam qui de
me non sunt, qui de me nolunt proficere.

XIII. « Quis deducet me usque in Idumæam. Nonne
» tu, Deus, qui repulisti nos? et non egredieris, Deus, in vir-
» tutibus nostris³. » Nonne tu nos deduces qui nos re-
pulistis? Sed quare repulisti nos? Quia destruxisti nos.
« Quare destruxisti nos? Quia iratus es, et misertus es
» nostri. » Tu ergo deduces qui repulisti, qui non egre-
dieris, Deus, in virtutibus nostris, tu deduces. Quid est, Non
» egredieris in virtutibus nostris? » Sæviturus est mundus,
conculcaturus est nos mundus, futurus est acervus testimo-
nii effuso Martyrum sanguine, et dicturi sunt pagani sævien-
tes, « Ubi est Deus eorum⁴? » Tunc Non egredieris, Deus,
» in virtutibus nostris: » non contra eos apparebis, non
ostendes potentiam tuam; qualem ostendisti in David, in
Moyse, in Jesu Nave, quando eorum fortitudini Gentes

¹ Supra in Psal. LVIII, Sermon. 1, n. 15. — ² Psal. LXXVI, 19. — ³ Id. XIX, 12.
— ⁴ Id. LXXXVIII, 10.

cesserunt, et strage facta, magnaue reddita vastitate, in terram, quam promisisti, plebem tuam induxisti. Hoc tunc non facies, « Non egredieris, Deus, in virtutibus nostris, » sed intus operaberis. Quid est, « Non egredieris? » Non apparebis. Certe enim quando catenati Martyres ducebantur, quando includebantur in carcere, quando ludibrio habendi producebantur, quando bestiis subrigebantur, quando percutiebantur ferro, quando igne cremabantur, nonne contemnebantur tanquam deserti, tanquam sine adiutore? Quomodo Deus operabatur intus? quomodo intus consolabatur? quomodo eis dulcem faciebat spem vitæ æternæ? quomodo non deserebat corda eorum, ubi homo habitabat in silentio, bene si bonus, male si malus? Numquid ergo quia non egrediebatur in virtutibus eorum, ideo deserebat? Nonne magis non egrediendo in virtutibus eorum, deduxit Ecclesiam usque ad Idumæam, deduxit Ecclesiam usque in civitatem circumstantiæ? Si enim bellare vellet Ecclesia et gladio uti, videretur pro vita præsentis pugnare: quia vero contemnebat vitam præsentem, ideo factus est acervus testimonii de vita futura.

XIV. « Tu ergo, Deus, qui non egredieris in virtutibus » nostris, Da nobis auxilium de tribulatione, et vana salus hominis¹. » Eant nunc qui salem non habent, et optent salutem temporalem suis, quæ est vana vetustas. « Da nobis auxilium: » inde da unde putaberis deserere, inde subveni. « Da nobis auxilium de tribulatione, et » vana salus homini. »

XV. « In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum » deducet inimicos nostros². » Non faciemus virtutem in gladio, non in equis, non in loriceis, non in scutis, non in potentatu exercitus, non foris. Sed ubi? Intus ubi latemus. Ubi intus? « In Deo faciemus virtutem: » et quasi

¹ Psal. LIX, 13. — ² Ibid. 14.

abjecti, et quasi conculcati, quasi nullius momenti homines erimus, sed « Ipse ad nihilum deducet inimicos » nostros. » Denique factum est hoc de inimicis nostris. Conculcati sunt Martyres; patiendo, perferendo, usque in finem perseverando, in Deo fecerunt virtutem. Fecit et ipse quod sequitur: ad nihilum deduxit inimicos eorum. Ubi sunt modo inimici Martyrum, nisi forte quia modo eos ebrios calicibus persequuntur; quos tunc furiosi lapidibus persequabantur?

ENARRATIO

IN PSALMUM LX.

Sermo ad plebem.

I. CONSIDERANDUM cum vestra Charitate Psalmum istum suscepimus. Brevis est, aderit Dominus ut sufficienter ex eo et breviter loquamur. Quantum adjuverit ipse qui nos jubet loqui, sic ero volentibus officiosus, ut non sim tardis molestus, nec paucis multus, nec occupatis onerosus. Titulus ejus non nos tenet. Est enim, « In finem, in hymnis, ipsi David¹. In hymnis, » utique in laudibus. « In » finem, » utique in Christum. « Finis enim Legis Christus est, ad justitiam omni credenti². » Et « Ipsi David, » non alium quam ipsum accipere debemus, qui venit ex semine David³, ut esset homo inter homines, et æquales Angelis faceret homines. Vocem autem in isto Psalmo, (si

¹ Psal. LX, 1. — ² Rom. X, 4. — ³ Matth. I, 1.